





DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,  
DE  
**DYSENTERIA,**

Quam

*FAVENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO,*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRANDENBUR-  
GICO, ET DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE,  
CETERA,

IN REGIA FRIDERICIANA  
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU  
PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,**  
MED. D. AC PROF. PUBL. ORD. h. t. FACULT.  
DECANO,

*DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO  
omni Observantiae cultu prosequendo*

**PRO LICENTIA**

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia  
DOCTORALIA, more majorum legitime adsumendi,  
*Eruditis ventilandam proponet*

**JACOBUS HENRICUS HEILERSIEG,**

BREFORDIA GELRUS,

*Ad d. Mart. MDCCVI.*

IN AUDITORIO MAIORI, horis ante- & pomeridianis.

---

Iterum edita: HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.  
ANNO M DCC X.

11. 8. 3. 1-50

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS  
DE  
DYSENTERIA

Authore  
D. PHILIPPO WILHELMO  
PRINCIPALIS MEDICAE  
D. PHILIPPO WILHELMO  
PRINCIPALIS MEDICAE  
D. PHILIPPO WILHELMO  
PRINCIPALIS MEDICAE

IN REGIA FRIBERGIANA  
GASTROTECHNICA MEDICAE CONSENSU  
PRÆSIDI  
D. GEORGII NESTORIS STABII  
MED. D. AC. PUBL. ORD. FACULT.  
D. C. A. N. O.

D. PATRONO P. A. C. T. O. R. E. A. C. T. O. R. E. S. S. U. O.  
PRO LICENTIA  
Summus in ARTE MEDICA Honoris, Scientiæ & Fidei  
D. G. O. R. A. T. A. M. E. M. O. R. I. A. M. H. O. N. O. R. I. F. I. C. A. M.

Jacobus Henricus Heisterberg  
Barrons, Cantu  
IN ADDITIONE MAIORI  
JACOBI HENRICI HEISTERBERG





## PROOEMIUM.



**I**nter illas peculiare  
circumstantias, quæ & indolem  
morborum specialissime circum-  
scribunt, & Pathologiam propter  
ea etiam singularem involvunt,  
primarium omnino locum sibi  
vindicat, specialis ratio temporis,  
quo morbi tales ita evenire solent, ut illi veluti peculia-  
riter alligati appareant, & vix, aut planè non, nisi sub tali  
temporis constitutione, obtingant: Aut si utique alio  
tempore compareant, notabilem indolis suæ diversita-  
tem ita unà exhibeant, ut specialissima specie reverà  
differre videantur. Quam in hoc censu consideratio-  
nem mereantur Morbi Ætatum, si animus decenter ad-  
vertatur, neminem latere poterit. Sicut enim v. gr. in-  
fantili atque puerili ætati familiares, simplices, & ut vul-  
gò non ita incommodè loquuntur, omninò benignæ,  
capitis, imò faciei scabies, seu ulcerosæ affectiones, viri-  
li & ulteriori ætati vix non absolutè ignotæ sunt: ita ex  
adverso, citrà planè peculiare, adeoque alterius planè  
capitis prædispositiones, teneræ isti ætati, sanguinem

per Hæmorrhoides erumpere, quod multis virorum familiare est, monstro simile existat. Obscurior in quibusdam, aut certè laxior observatur hujusmodi habitudo ad tempus; exemplo Febris Tertianæ, Quartanæ, Biliosæ, & aliarum Acutarum. Quamvis enim Tertiana, & facilius & familiarius vernum tempus sectari soleat; Quartana autumnale, & hoc quidem constantius: Biliosæ tam Cholericæ, quam Ardens, æstatem: Non ita tamen insolens est, etiam ipsam Tertianam æstate, quin autumno, Quartanam etiam aliquando vere, Biliosas illas etiam quolibet tempore, cooriri. Interim specimen affectus exquisitè determinatum tempus quasi mordicus retinentis atque sequentis esse, atque dici potest imprimis DYSENTERIA, vera inquam & exquisita, cum maximis torminibus, jam cruentas, jam mucido-ulcerosas tanquam tunicæ intestinorum abrasæ, excretiones inferens. Hic morbus, cum imprimis in Bellicis expeditionibus, per fervidiora AUTUMNI initia, & alias familiaris esse soleat, & hætenus etiam partim strages varias in Exercitibus edidisse, partim multa tempestiva conamina moratus esse, audiatur, placuit mihi solennis Inauguralis speciminis loco, tam historiam indolis ejus, quam curationis, contexere, & publicæ ventilationi exponere. Faxit DEUS Ter Optimus Maximus, ut cœprum hoc tam rectè exequar, quam illud ipsum etiam usum aliquem, pro publico communibono & Proximi utilitate, assequatur.

## Historia morbi.

**I**N nomine *Dysenteria* prolixè occupari non placet, cum facilè appareat, quod *difficilem* quandum atque *pravam* constitutionem *intestinarum* ad literam denotet. Circa accceptionem autem ipsius, mereretur omninò, sed & hoc ipsum sine prolixitate, notari, quod apud *Hippocratem* longè laxiore sensu hoc usurpari consueverit, adeo quidem, ut quamcunque plus minus *terminosam* intestinarum, uti vulgo vertunt superiorum temporum interpretes, *levitatem*, ipsi denotet, nempè variorum generum *acriores alvi fluxus*.

Cum verò propioribus temporibus specialissimo affectui nomen hoc solennius tribui fueverit; aliis vero, *biliofis, flatulentis, crudis & indigestis alvi fluxibus*, specialiora seorsim nomina in posita maneant: sequimur proinde hunc ipsum quomode morem, & *Dysenteria* nomine alvini fluoris speciem *peculiarem* accipimus, cujus hæc est indoles.

*Augusto* mense, rarò maturius circà *Julii* medium, maxime quo tempore *cerasa, pruna molliora, pyra præcocia*, maturescere incipiunt, & imprimis quidem à similibus fructuum, sive per se largiori ingurgitatione, sive *aqueosis*, aut *fermentariis* potibus superingestis, corripuntur patientes *alvi lubricitate*, quæ magis magisque in majorem *impetum*, non solum ratione numeri, sed maximè etiam ratione *stimuli* pergit, dum videlicet patienti & intus in *abdomine*, & inferius versus & circa *sedem*, sensibilissimæ *toriones* illic hic autem *morsus* quidam acres, & velut in horas augefcens, sensim verò veluti perpetuò continuans, *stimulus* seu ad minimum conatus egerendi, obtingunt.

Incipit patiens magis magisque *languescere, impetuum*

amittere, plus minus *frigidule* auræ sensu percelli, & de tempore in tempus etiam *aspectum* morbidum præ se ferre: augetur magis magisque & *conatus* deiiciendi, & *stimulus* tam *terminum*, eorumque exquisitissimorum & *acerrimorum*, quam *morsus* illius in intestino recto: Imò vix unquam etiam *plane vacuus* est: quisquam talis conatus, sed ejicitur *revera materia tenuis, albuginea, leviter flavescens*, non tam æque *verè* *factore* alvino, quam, uti referunt, *oleagineo* aut *ovo* *levissimè* *alido* simili, imbuta.

Emicat tandem & hanc materiam comitatur *sanguis*. Non quidem *spissus*, & undique *verè sincerus*: sed *dilurior*, ita ut fere plus minus *perspicuitatis* admittat, instar *subturbidæ, loturæ carniū*.

Increbescunt communiter citò omnia hæc pathemata, augete etiam, pari proportione, *Patientis debilitate*: ita tamen, ut, nisi efferum *planè* sit malum, non absoluta *necessitate decumbere* cogatur, sed *qualem* *cunq;* orthostidiam servare possit, ad *minimum* tam diu, donec *valdè* *increbescat* mali *feroica*.

Nunquam ab omni *Febrili* commotione sanguinis absolute immunis est *Dysenteria*; quò *rebementior* autem hæc illi concursit, eo *ferocius* etiam & *gravius* est totum, malum. *Sitis*, si non *præpropere*, tamen *latis* *mature* comes accedit; interim *potus* quilibet, *fovet* ad *minimum*, *communissimè* *verò* *exasperat* malum: certissimè *quantumcunq;*, tantò *magis* autem *valdè*, *frigidus*.

Omnis *refrigeratio*, *quantacunq;* etiam *proportionatè*, certissimè *nocet*, & *exasperat* malum: *calor*, si minus *torum* malum *directè*, certè tamen *impetum*, *minuit* & *mitigat*.

Ita etiam *quies*, seu *abstinentia* à *jactationibus*, imò *quibuslibet* tandem *sensibilioribus moribus corporis*, *minuit* & *placat*, *agitatio* auget *incommoda*.

Du.



Durat non planè acerbissimum malum, 3. 4. 5. septimanas: mitius etiam diutius. Spontè, & sine omni medicamento efficacia, difficulter, & proinde rarius, cessat: sine consentientia rationaliter methodica, nunquam. Facile verò & sæpe, sponte jugulat Patientes.

*Dysenteria vera semper est contagiosa.* Invadit autem corpora etiam alias evidenter sana: & graviter etiam exercet, imprimis plethorica, aut cholericæ.

Quando feliciter superata est, relinquit communiter intestina impostero veluti firmiora, seu obfirmata contra sensibilitatem acriorem, ita, ut post hac neque torminibus tam promptè pateant ejusmodi homines, neque alvi promptioribus fluxibus aliis expositi vivant.

Sunt vero *vera Dysenteria, Parægnomonica* proprietates fluxus alvi cum exquisitis torminibus, valdè frequens atquè stimulans, quem sentim sanguis, aut subcruenta mucida substantia, ac si interiora intestinorum abrasa effluerent, insequitur; Augusto circiter mensè, à fructuum horarum abusu, aut contagio coortus, & omni modo contagiosus: periculosus semper & quò vehementior est, & manifestiorem febrilem commotionem comitem habet, eò brevioris atquè savioris exitus.

CAP. II.

Historia Variationis hujus morbi.

**H**abet sese *Dysenteria, propriâ ratione* omninò ita uti dictum est: per accidens autem, & tam per individuum diversum habitum, quam externas concurrentes causas, variat & invadendi & decurrendi ratione.

Quæ præcipuam in hoc genere varietatem exhibeat, est circumstantia ortus, vel magis immediatè à crassa materiali causa, fructuum horarum perperam usurpatorum: vel à nudo contagio. Quam quidem rem tantò digniorem reddit, observatu, quod subjecta ab ejusmodi materialibus corruptelis

lis specialibus, maximo studio sibi caventia, imò de reliquo etiam quam maxime optima & florida sanitate conspicua, nihilominus malo huic per contagium suscipiendo, nihilo quicquam minus exposita vivant: imò floridiores de reliquo homines, sanguinis larga abundantia instructi, non solum ad suscipiendum hoc malum, sed graves etiam ejus impetus subeundos maxime apti observentur.

Proximum huic est, quod etiam hi, qui quam maxime nudo magis contagio morbum contrahunt, tum in universum gravius ab illo habeant: tum in specie manifestioribus, imò gravioribus febrilibus commotionibus familiarius concutiantur, quam illi, qui evidentius à materiali crassiore occasione malum hoc sibi accesserunt.

Huic imprimis circumstantiæ comes etiam incedit, illa variatio, ut alii, imprimis autem hi contagio correpti precipitibus omninò totius mali progressibus citò obruantur & pessimè habeantur: & imprimis statim ipso invasionis more atque motu, acriter, imò febrili quodam typo, percellantur, & tum dejecti impetuosos & anxios conatus, statim summoperè urgentes, sentiant: tum reliquis etiam symptomatibus ita graviter & præproperè infestentur, ut intra tempus prorsus exiguum nimio plus viribus deficiant, & undique gravius periclitentur. Aliis autem omnia mitius atque lentius procedant.

Anxietas circa præcordia, imprimis quidem sub ipsis torminibus, familiaris est huic malo; non tamen pari omnibus atque singulis vehementia. Aliis enim longe mitius contingit, aliis fortius; imprimis autem his, qui vel enormi ingurgitationum talium quantitate excefferunt: vel hujus quidem nihil admiserunt, contagio vero morbum adepti, eundem in valde pleboricum corpus receperunt.

Tormina uti Dysenteria omninò essentialia sunt, ita impetus tamen illorum pro reliquo totius mali impetu variat, ut cum hujus gradu conspirat. Exacerbatus terminum etiam

vio-

violentia, imprimis frigore & inquietudine seu, voluntaria etiam jaetatione corporis. Repente *conquiescentia* tormina, sine reliqua virium, & imprimis animi alacritatis sinceræ, conspiciatione, breviter, sine omnibus evidentis *euphoria* reliquis signis, *funesti* penitus ominis sunt.

*Dysenteria simplicior*, nec unde *per accidens* exacerbata, aut *perrurbata*, diu exercere potest hominem, antequam gravissime illum consumat, adeoque ad *funestum* exitum deducat: tantò magis autem, antequam *sponè* iterum *conquiescat*: sicut illud quidem etiam difficulter evenire, jam supra monuimus.

*Tenesmus*, id est peculiaris sensus *stimulationis in intestino recto* ad exonerandam alvum, sive speciatim ex intestino recto aliquid exprimendum, equidem nunquam à progressu hujus mali abest: Interim diversa utique vehementia affligit. *Gravius* semper, quando materia excernenda non bene *succedit*, sed nimium veluti pauca præsto est. Citissimè verò & certissimè intenditur, *interne* per *adstringentia* exhibita: *externè*, per *frigus*, tum reliquo corpori temere admissum, tum præcipue ipsi exitui intestini recti, seu *orificio ani*.

Uti excretio *cruenta* non est signum aut symptoma *simpliciter* Pathognomicum *Dysenterie*, sed etiam aliquoties allegata alia talis substantia, veluti *abrasionis ulcerose* ipsi familiaris est: unde illa popularis distinctio, der witsen und rothen ruhe: ita valet tamen illa constans diversitas, quod *sanguinolenta* excretiones Patientem propemodum omnibus respectibus *nimis* *agerrime* habeant, quam illæ alteræ *exsanguæ*. Et præcipue quidem eo, quod *exsanguæ* istæ, majores internas *anxietates*, & *febres* etiam evidentiores comites habere soleant: & per omnes verisimiles circumstantias majores *internas inflammationes*.

Symptoma est *Dysenteria* copiosiori familiare, *urine* imminutio: adeo, ut aliquando etiam ad plenariam ejus *suppres-*

B

pres-

*pressionem* sive emanationem progrediatur. Non tamen *simpliciter* semper morbo huic evenit.

Peculiare est, quod moderatus *potus vini*, imprimis *generosioris*, morbo huic non modò non *obesse* videatur, sed familiariter etiam *prodesse* : etiam sine peculiari respectu, & qualicumque deteriori hactenus efficacia, *febris* concurrentis.

De re iquo vero illud considerationem omnino meretur, quod nimium quantum *major* sit malus effectus *Febris*, quam directè ipsius *fluxus*, ejusque reliquorum symptomatum. Undè etiam deprehenditur, quod ex illis medicationibus, quæ inter *febrem* & *fluxum* veluti *contrariam* quandam indicationem spirare videntur, illa quæ *febri* conducere, morbum autem *fovere* reliquum videntur, nimio minore noxa adhibeantur *ad summam* rei, quam ea, quæ morbo quidem directè resistere apparent, *febri* verò minus convenire. Elucescit primum ex usu *largioris potus*. Secundum ex usu *adstringentium*.

*Vomitus* *Dysenteria* non æque simpliciter familiares sunt ; Quando illis eveniant, qui propria sua culpa, per fructuum intemperantiorem esum in hoc malum ruunt, quò magis *mature* per ipsa *initia* hoc ita contingit, eo melius cedit, neque adeo vehemens succedit ipse morbus : sicut etiam revera, immediate post tales *ingurgitationes*, & priusquam jam *alvus* turbetur, eveniens largior *vomitus*, toti malo præoccupando infervit. At vero *tardus* demum, conatus magis *vacuus*, quam revera *evacuans vomitus*, irritus est, & alienus à bono effectù : imo vero altioris etiam in ipso *ventriculo* prævalentis læsionis omen.

*Appetitus* etiam qualitercunque sibi constans, aut denud suboriens, nimio semper melior est, quam vel planè deficiens, vel prorsus in *nauseam* fatiscens : quæ ipsa etiam iterum tantò pejor est, quò magis *continua*, imo verò *augescens* potius, observatur, quam *mitescens*.

Pessimi in hoc genere omnis est *aphibodes infectio* &

*inflammatio faucium.* Hæc enim incertum subinde, an a *ven-  
ericulo* ipso ascendendo profiscatur, an vero in illum sen-  
sim per *œsophagum deorsum serpendo*, ea ratione demum  
redundet: interim quod hoc familiarissimè faciat, quod  
inquam, quando in faucibus pertinacius stabulatur, ipsum  
etiam *ventriculum* subeat atque corripiat, certissimum est, &  
præterea illud, quod, ubi hoc fit, certius conclamata fit  
spes. Corripiuntur enim hinc *ægri* extrema illa *a onia*, ut  
*cum sonitu* descendat, quicquid liquidi assumunt, & *strepero*  
quidem, funesto omine, ut jam pridem *Hippocrates* intel-  
lexit: siquidem hæc ex illis sunt, quæ secundum eundem  
& in *Lybia*, & in *Delo*, & in *Ponto* atque *Scythia*, ejusdem ve-  
ritatis sunt.

Quando *funestè* exit malum, quo magis sive *diuturnitate*  
sive *impetu* dejectionum atque conatum, enervati fuerunt  
Patientes, eo tranquillius expirant, sine *convulsivis* sympto-  
matibus notabilioribus. Contrarium contingit, quando per  
præposteras *adscriptiones*, præmaturè, imo quolibet intuitu  
*intempestivè* cohibitus est *fluxus*, seu *evacuatio*, materiâ, ejus-  
que peculiari *fermentativa* efficacia nihil correctâ, neque  
*febrilium* commotionum decente ratione habita: in tali nam-  
que constitutione, intereunt *ægri* cum *confusionibus* gravi-  
oribus.

### CAP. III.

## Varietates quædam diversitatis specificæ.

**A**Ntiqua est & simplicis veritatis parcemia, qui *benè di-  
stingvit, bene docet.* Certè enim confusionis certissima  
est radix, diversarum rerum in *unum nomen* implicatio;  
sicut ex adverso præcipuum distinctionis instrumentum est  
assignatio *singulorum* nominum in res singulas. Diceremus  
peccasse in hoc veteres, nisi pudor meritò esset, per illorum

accusationem nos potius accusare velle, quam agnoscere, quod eo ipso nos ipsos quoque judicemus, imò damnemus: & justius quidem, cum verosimillimum sit, ipsos ne quidem defectum hic agnovisse, alioquin paratissimos futuros ad eundem corrigendum: dum nos nullo argumento excusare possimus, quod non correxerimus, aut hodieque corrigamus, si modò in agnoscendo illis feliciores, seu potius sine Rhetorica, peritiores sumus. Parasitatio verò fuerit, veteribus, si reviviscerent, primis omnium contemptibilis & abominanda, venerationem illorum reliquam justam, eò extendere, ut auctoritati illorum detractum esse statueremus, si quæ illi non dixerunt, dicerentur, imò potius quæ illis scire non obtingit, dicerentur aut scirentur. Enimverò ab istorum indole virorum, ingenuitatem atque liberatem tanti æstimantium, alienissimum est, etiam quibus libet frivolis interpretationibus illis affingere, non solum quæ reverà ipsorum ætate nondum debite perspecta erant: sed etiam ita affingere, uti neque fuerunt ulla ætate, neque erunt: adeoque illos inscitia talis nostræ, non solum testes facere velle, sed, quod magis injurium, etiam authores. Quid in hoc genere sæpius accidat optimo *Hippocrati*, monstrant non solum allegationes seu verius transcriptiones lacernarum ex ejus scriptis totas paginas passim expleantur: sed etiam cum interpolationibus, quas *Hippocrates* in mentem admittere non potuisset, nisi fortè eò solo intuitu, quod talium rerum, de quibus similia finguntur, tantundem imperitus suo tempore fuisset.

Meritò hujus moris perversi recordamur, ubi de *Dysenteria* sermo nobis est. Certè enim hoc nomine non unum illum *specialissimum* affectum, quem nos hodiè *specialissimè* ita notare solemus, in aprico est. Interim certè propterea hoc nomen ad totidem, & *incertas* quidem, *varias*, & vix non quaslibet *acriores fluxuum* alvorum species revera distinctas, indifferenter & *promiscuè* applicare, ejusdem sine dubio esset commatis, ac si quis ex adverso omnes *accidentales variationes* uni-

unius morbi, tanquam totidem veras species *essentialiter* diversas, peculiari appellatione discernendas esse contenderet, ad imitationem Germanorum, *die weiße Ruhr*, *die rothe Ruhr* / tanquam veras species dirimentium.

Quod autem Veteribus, imprimis cum eo tempore tam rarissimi essent (propter excriptionis copiosæ in publicum, quæ nostris temporibus mirificè opitulatur, defectum,) qui condignè observarent, variæ morborum species non satis distinctè cognitæ fuerint, & alia multa satis docere possunt, & varia ex *Hæmorrhoidalium* excretionum phænomenis.

Quantumlibet enim de his rebus plura quam quisquam ferè è recentioribus, animadverterint, tamen quam parum realiter distincti illi quoque perceperint aut conceperint, ex ipso imprimis *Hippocrate* luculenter ante oculos jacet, ut si quis etiã hos ejus singulos & omnes locos, qui quoquo modo de hac re loqui vel reperiuntur vel videntur, transcriberet, & quoquo modo interpolaret, nullam certè aliam sententiam indè conficere valeret, quam quod *Hippocratis* tempore, non nisi *confusa* hujus rei notitia extiterit.

Si ulla est affectus species, quæ *Dysenteriam* satis graphice simulet, sunt profectò eruptiones *Hæmorrhoidales torminose*, licet rarioribus exemplis ita *exquisite* occurrentes. Vir juvenis 30. annos non multum excedens, satis procerus, *sanguinei* leviter *choleric* habitus, à longo tempore *otio* & *vino Thuringico*, fortiori, plus quam aliis rebus indulgens, *Hæmorrhoides* ad quas *hereditaria* dispositione ferebatur, jam aliquoties expertus nunquam tamen sine tali symptomatum syndrome, quæ *Dysenteria cruenta* non modo suspicionem facere videretur, sed plus semel etiã primis præcipuè vicibus, persuasionem. Corripiebatur nempe lubricitate alvi, cum *appetitus* labefactatione, & mox *prostratione*, neque tardiore virium lapsu, *torminibus* autem repentino impetu ferocientibus. Emicabat non solum frequens *excernendi* conatus, sed etiã aliqualis *mucide* imprimis talis substantiæ successus: donec tandem

dem etiam *cruenta* consistencia succederet, sensim demum *seniore* etiam sanguine subsequente. *Tenesmus* sub toto hoc pathemate ingens urgebat, & pertinax. Breviter, nulla à vere *Dysenteria* diversitas, quàm quod sanguinis *liberior* successus, pathemata sensim mitigaret; ipse etiam *sincerior* succederet, & inter omnia reliqua pathemata *mitescendo* recedentia, ipse agmen clauderet, & apparere postremus cessaret.

Placet affectum hujus generis recensere, etiam à Medici pro *Dysenteria* habitum. Vir juvenis 26. annorum, *choleric* - *melancholici* habitus, *plethoricus*, *venesectionibus* semestribus assuetus, proximo verò autumno iis non usus, *Decembri* mense, frigida admodum tempestate, toto meridiano tempore in laboratorio spatiofo, eoque ipso admodum *frigido*, inter aliquot numero diversas operationes occupatus, quarum una erat præparatio *clyffi antimonii tartarisati*, & fusiones regulorum *Antimonialium Marsialis* atque *Jovialis*: superiore quidem corpore ad sudorem calebat, cruribus autem & pedibus percellebatur à frigore pavimenti lapidei: rectissime interim habebat, alacris torus atque vegetus erat. Cum *clyffus* ille in aliqua copia parandus, intra pauciores hæc horas absolvendus esset, vasorum juncturæ etiam laxæ atque dehiscentes, multum vaporis efflarent, cujus nauseabundo fuliginoso nidore peculiare fastidium sentiret: absoluto circa horam sextam vespertinam toto laborum penso, optimè adhuc habens, in conclave calidum rediens, corripitur paulò post insolitis sibi *torminibus* alvi *acutis*, quæ mox in *dejiçendi* conatum procedunt: dejicit etiam *liquida*, non aliter, ac si purgante usus fuisset. Revertitur ad cœnam, quam cum bono appetitu assumit, recurrentibus interim, subinde acrioribus quibusdam moribus *torminos*. Statim post cœnam, quæ vix dimidiam horam excefferat, corripitur iterum *dejectione*, non aliter quam à purgante assumpto, *quantitate & qualitate* expurgatoria. Increbescunt *tormina*, cum intercurrentibus tertia & quarta vice liquidis ejusmodi dejectionibus



bus: ante nonam vespertinam perlentificat inde sensum insolitam quandam *fatigationem*: cujus æque, atque continuatum morisum *torminosorum* intuitu, maturius cubicum ire suscipit. Cum verò in cubiculo *frigido* dormiret, neque lectum concalefacere cordi habuisset, simulatque in hunc ita frigidum recumbit, corripitur statim fortissimo *horrere* verè *febrili*, mordentibus interim proæmodum absque cessatione acris *torminibus*. Post dimidiam verò horam durantis ita jugiter *horroris*, *vomitu* corripitur, sed uno, & simpliciter eorum, quæ in *cena* assumpserat: Dejicendi verò conatus non ita multo post revertitur, ita importunus, ut etiam sub ipso *horrore* surgendum esset. Cum tandem sensum cessaret *horror* atque *frigus*, succedit *æstus*, rorâ quidem *fervidus*, neque tamen etiam exiguus. *Tormina* sæpè recurrentia, & in *dejectiones* non solum torminosas, sed etiam *tenesmodes* connitentia, non tantum pervigilem faciunt noctem, sed pluribus etiam *fluxibus* laboriosam. Laboraverat patiens in pueritia & prima adolescentia tribus diversis vicibus *Dysenteria* vera, neque amiserat ejus rei recordationem satis exquisitam. Iudicabat, tam e reliquo *torminoso*, quam imprimis *tenesmode* sensu, quod excretio sine dubio jam dum *cruenta* prodeat, quod tamen candela nondum satis diu lucebat, diei verò subsequens lumen satis manifestabat. Continuabat hæc dejectio cum *febre continua*, leniore tamen, ita in octo dies, ea tamen sub differentia, ut & *fluxus* & *tormina*, rarius potius quam frequentius procederent non solum in singulos dies, sed etiam omnino mox à primo die, seu potius *nocte* illa ita miserè anxia & laboriosa. Tandem, cum *adstringentibus* manifestioribus potius asperior semper, quam ullo modo mitior evaderet, tam *fluxus* quam præcipuè *dolor* & *conatus*, *lenioribus* obsecutus est uterque. *Differentia* à *Dysenteria* reliqua, præter modò dictam circumstantiam *decrementi* mox à primo *impetu* magis magisque sensibilis, apparebat etiam in eo, quod nihil neque *spumidum* neque ita *ulcerosa* similitudinis, compareret, ut in *Dy-*  
sen-

*ſenteria* ordinariè fit. *Contagioſe* verò *Dispositionis* ne veſtigium quidem comparebat, aut ulla juſta ſuſpicio.

*Cathartico-hæmorrhoidalem* hanc fuiſſe excretionem non eſt dubium. *Catharticam* quidem, à copioſè per *reſpirationem* hauſto illo vapore *fuliginoso Chyſi tartariſati*, quem nempe aliàs in liquorem denſatum, notum eſt *laxative* imò *cathartice* efficaciz eſſe (imprimis ſi non æque *ſpiritu vini* quam aquoſiore menſtruo excipiatur) Qualem autem, & quam penetrantem efficaciam habeant cathartica, magis *immediate in maſſam humorum* immiſſa, *Chirurgia infuſoria* docet. Subtilium autem vaporum, per nudam *reſpirationem*, inſinuationem in maſſam humorum ſatis facile contingere poſſe, & alia experimenta confirmant, & meminimus ejuſmodi effectus in proprio corpore aliquanto obſervati, dum in itinere, in hypocausto anguſto & humili pernoctanti, cui ſummo manè radices illæ piceæ, quibus pro lignis ſuccendendis utuntur, ſtehn/ magna copia non ſolum illatæ, ſed etiam magna pars ſuper fornacem concaleſactam ad exſiccandum poſita, majore hujus fervore ad exhalationem copioſiſſimam ſubtiliſſimæ oleaginoſæ ſubſtantiz impellebatur, unde odor acutiſſimus oleoſus quaſi terebinthinatus, ſub ſenſibili etiam vapore, totum hypocaustum oppleerat. Dum in hoc per duas fortè horas, priuſquam itineri omnia iterum parata eſſent, durandum fuiſſet, toto illo antemeridiano tempore, & ſenſibilis urinæ ſæpius excernendæ ſtimulus urgebat, & ſpirabat hæc largiſſimè violaceum illum odorem, qui ab ejuſmodi oleis deſtillatis, *Templina*, ut vocant, *Terebinthina*, *Succini*, largius aſſumptis, ſequi ſolet.

Breviter expediri poſſunt, quæ in hoc negotio neceſſaria utique ſunt ſcitu, ad veram diſcretionem *Dyſenterie*, & aliarum *emularum* talium excretionum ſpecies diſtinguendas. *Bilioſe* variæ, & *Hæmorrhoidales* excretiones, & eo tendentes *conatus* diſtinguendi ſunt peritiſſimè tum à ſe invicem, tum quam maximè à vera *Dyſenteria*.

Ani-

Animadversionem peculiarem in hoc genere adhuc interponendam habet D. D. Præses, nempe quod in *Epidemicis Petechizantibus* febribus, per eadem tempora grassantibus, quibus etiam *Dysenteria* cooriri solet, cum reliquis *Diarrbæis* quæ eiusmodi febribus familiares sunt, *Dysenteria* satis facile colludere soleat, & coalescere. Qualem verò prudentissimè certè, imò pericissimè tractandam esse, experimentis exquisitissimis edoctus, nonnet, & ab *adstringentium* usu solerter abstinendum.

Non possumus silentio præterire peculiarem fluxum, quem vulgo *Dysentericum* interpretantur alii, alii pro *Hæmorrhoidali* potius agnoscunt, qui *Lutetiis Parisiorum* peculiariter familiaris esse vulgo memoratur: Ubi populariter *le mal de Paris* audit: & quidem ita *endemiis*, ut non solum fortè longius advenientes *exteri*, illum imprimis incurrere consueverint, sed ipsi usque advenæ quilibet Galli, quando diutius *in urbe* morari susceperint, illo corripipi passim soleant. Nempe incipere memoratur utique cum *Diarrbæa* simpliciore, sed quam tamen *tormina* individua, magis specificam reddere videantur. Interim quò *gravius* hæc prævalescunt, eò maturius atque certius sequitur etiam *sanguis*: alias *dilutior*, alias *sincerior*. Differentia præcipua à *Dysenteria* simplici & indubia, in his imprimis circumstantiis consistit. *Primo*, quod hic affectus per se *benignior* sit, neque *malignitati* *Dysentericæ* par. *Secundo*, neque proinde similiter *contagiosus*. *Tertio*, communiter etiam ita *segnis*, imprimis reliqua velut universa tam *torminum*, quam *fluxum* conditione, ut Patientes multi etiam in publicum prodire, & ibi moras agere possint: *Quarto*, quod ab hoc affectu longius communiter absint manifestè *febrilia* symptomata, & patientes etiam ad aliquot septimanas subindè, sine maximis incommodis aut periculationibus, laborent. *Quinto*, quod *quolibet* etiam *anni tempore* magis indifferenter evenire sentiatur.

## Pathologica pensitatio Dysenteriae.

**S**I quidquam in rebus, *mixture*, & varias subtiles *alterationes* harum concernentibus, difficilius est, est utique non solum *doctrina*, ut pote de qua vix ulli spei locus est: sed ipsa usque *historia de specificis fermentationibus & fermentis*. Non jam ad nostrum forum pertinet, aut certe scopum, de hujus rei exemplis per totam regni *vegetabilis* historiam, fundamento *specificorum odorum atque saporum* fermocinari; nec etiam de specialissimis *odoribus animalibus* differere, quibus non solum *canes sagaces* species animalium è nudis *vestigis*, non agnoscere, sed *diagnoscere* etiam valent: verum etiam v. gr. canis *lagax perdicarius, perdicem, coturnicem*, vel ad ducentos passus ofacit, si aura à perdice ad ipsum feratur: neque mirus alii nasutiores canes, *herum* suum è *vestigiorum* odore, per ingens spatium assequi norunt. Sufficiet nobis ingens illud exemplar considerationi exponere, quomodo v. gr. *Pestes contagiosissime* *variarum specierum animalium* dentur, quæ illa quidem, quæ ejus sunt *speciei*, violentissimè invadant, atque corrumpant: aliis autem ne quidem suspitione qualicunque noceant: adeo, ut ne quidem *canes*, de talibus animantibus recentius *intermortuis* vorantes, inde inficiantur. *Fermentarium* autem esse actum, quo *contagia* ita agunt, vix quisquam dubitaverit.

*Dysenteria* causam, *crassioribus & generalioribus mechanicis* rationibus, imprimis *stimulandi*, simpliciter adscribere, varia vetant. Imò placet nimio magis, candidè profiteri, ubi non detur solita aliqua *verisimilitudo*, quam ineptam illam *generalissimam* affectionum, aut in se etiam obscurarum, & ab omni conceptu alienarum, per *ἀτόμω* illud, *magis sic, magis ita*, audire, nedum allegare: aut *furdum* illud, *sui generis, suo modo*,

tan-

tanquam, pro *specificis* expressionibus, crepare, sed unice *re magis tale* debito ordine, nempe pro gradu ejusdem speciei manifestæ, decenter usurpare. Unde iterum dico, quod *Dysenterie* ætiologia à *notis* mechanicis formulis deduci posse, nobis minime videatur.

Sicut enim hoc hodiernæ illius, *mechanice* vulgo nominatæ *Pathologie* generale utique & perpetuum est vitium, quod *generalissimis* plane conceptibus, res *specialissimas* temerè stringere contendat; ita certè nobis ingens eius specimen videtur, quicquid vulgò de *Dysenteria* ex hac Rhetorica disleri solet. Nempe audias illud unum, *acrimoniam causticam stimulare* intestina; *rodere* glandulas illorum atque tunicas, *coagulare* (juxta alios contra, *fundere*) humores: inducere ita *stases*, quas partim *inflammatio*, & tandem *ulceratio*, partim reliqui sanguinis per hæc *stases* tandem *perruptio* (ut etiam aliàs *Hæmorrhagiam*, sed nunquam verisimiliter, effingunt) consequatur: *stimulationes* autem illas seu *rosiones*, non quidem immediato *mechanico* pellendi actu sed alio, quem tamen *physicè* intelligendum volunt, *irritandi* actu, id est *spiritum accursum*, *tumultum*, *inflationem*, provocante, *tormina* efficere, &c. Quis autem non animadvertit, quod & quam crassis omnino difficultatibus hæc expressiones quantumcunque etiam *generalissima*, laborent: Dum non solum nihilo plus ad hanc *speciem* fluxus afferunt aut inferunt, quam ad aliam quamlibet *Diarrhæam*; verum etiam adhuc insuper, *specialissimum* illum effectum, *sanguinem* imprimis sub talibus excretionibus *commovendi*, imo in illas *excretiones* simul involvendi, ne quidem suspicionem aliquam nedum rem ipsam, attingunt.

Minime omnium autem recordantur, quacunquè levissima ratione, peculiaris illius circumstantiæ, de tam prompta hujus morbi *propagatione* atque *communicatione per contagium*. Quamvis enim etiam illud satis alienos redderet hosce crassos atque *generales* conceptus, si *contagium* illud non nisi per *immediatum contactum* intestinorum communicaretur: v. gr. de-

*ſtando* in iisdem fellis, in quibus ita affecti defederint: auget tamen difficultatem, quod hoc ipſum *contagium*, imprimis quando *ferocius* evadit, etiam quolibet alio *vaporoso* commercio ex uno corpore in aliud transferatur.

Hic enim certè tantò evidentius eſt illud *ἀγεντον*, (quamvis revera etiam *purgantium* qua talium indoli commune) nempe quam ſui conſtitutione aut conditione hæc ita *directè & unitè* ad *intestina* ferantur, ut etiam *oppoſito* loco, circa ipſam *peripheriam* corporis, immediatè humoribus immiſſa, ex illis, ad eoque undique è tota *peripheria* corporis, ad hæc redundant. Qui certè inexpectatus omninò ſit neceſſe eſt *irritatorius* actus; qui nempe non ſolum *intestina*, quando in illa impingit, ita irritando afficiat: ſed reliquas etiam corporis partes, ita peculiari-ter atque *ſpecialiſſimè* ſtimulet, ut ab hiſ *præciſè* ad *intestina* pel- latur, quo ibi proterviam ſuam *ſpecialiſſimam* denique abſolve- re valeat.

Quæ verò ex hiſce proſceniis ratio exſpectabitur, quam obrem hæc *Dysenteria* prioritativa ſubſtantia, nullo alio tempo- re naſcatur, aut efficax ſit, quam *Horæo*? Et quænam cauſa as- ſignabitur, ſive *proventus* tam ſpecialiſſimi, ſive *effectus* ſpecialiſſimi *in hoc tempus*, undecunque fortè alias generalius *irritati- ve* materiæ &c. Nedum ut pluribus circumſtantiis ſatiſfieret.

Nihil itaque certius videtur, niſi quod huiusmodi quidem *ſpecifica* conſtitutionis, plane nulla dari poſſit ratio: ipſius au- tem etiam generalis huiusce indolis, nulla veriſimilior appareat conditio, quam, quod corruptela hæc talis ſpecialiſſimæ *fermen- rativa* ſit indolis, ut ubicunque tandem cum *excrementitia bile* in corpore concuſſet, talem cum illa corruptelam formet, quæ *catartica* evacuationi exquisitiſſimè quadret, imò *excretioni* præcipiti ſeu minimè cunctationem ferenti, ſine corporis gra- viore noxa, admovenda ſit.

Non agnoſco ſolum lubens, ſed ipſe iterum dico, imò ndico, quod hic ipſe etiam conceptus, nihil niſi *generaliffi-*

num quiddam sapiat aut inferat: modò simul memori mente hæreat, quod nihil *specialius* posse dici, pro certo habeam, & supponam. Interim quicquid etiam sit, revera plus adhuc *specialis* habitudinis hanc etiam speculationem comprehendere, uno vel altero verbo indicare, non inutile fuerit. Efficacia illa *irritandi* atque stimulandi, tantò generalior est hoc nostræ expressionis conceptu, ut communis esse possit omnis generis *purgationum* & *alvi fluxuum* materiis; præterea non tam de modo *fiendi*, quam *agendi* demum, quicquam loquitur: ubi etiam imprimis absolute deficit, circa ipsam usque recordationem, nedum repræsentationem ingentis illius, & *Dysenteria* omnino *essentialis* phænomeni, non solum *communicationis* ex uno corpore in aliud, *contagiosa*; sed etiam *multiplicationis* in illo corpore. à tam immensum levissimâ quantitate *contagii* in corpore, ut tantus proventus *excretionum* sequatur: quæ utraque in *fermentationem*, & nihil aliud, quadrare, in aprico est. Plus itaque omnino dicemus, *fermentativam* hanc indolem allegantes, quam qui simpliciter de *irritativa* loquuntur.

Quid autem nos moveat, ut etiam *bilem* specialissimè huic scenæ immisceamus, neminem poterit fugere, quando & à priori perpendetur, quod *bilis excrementitia* imprimis, sit talis substantia, quæ per *intestinalem* excretionem, etiam *ordinariè*, ex universo instituto Oeconomie animalis, excerni debeat atque soleat. Adeoque hujus maxime, etiam ubi sero adhuc immixta, per totum corpus, & tantò magis per totum *sanguinem*, dispersa vagatur, *acriorem* commotionem, effecturam esse, ut illa *majorè commissa* ad excretionem debitas, etiam tantò *intencius* atque operosius, *admoveatur*. Neque hoc solum; sed apparet etiam hæc interpretatio confirmari, tum aliis, tum imprimis *Bontii* observatione, qui in *Dysenteria* mortuo, nullam *bilem*, sed quasi *chylosam* quandam in *folliculo fellis* materiam, neque ejus parum, deprehensam fuisse annotat. *Vesiculam felleam* plane *vacuam*, in hac regione omnia

superficietenus vitellino colore tincta, intus autem *ventriculum* & *proxima*, ad *Ileum* usque undique *bile* perfusa, *Ileum* ulceratum, *Platerus* in *Mancissa* observationum: *Abscessum* circa *Cystidem* fellis ingentem, de *la Moniere* de fluxu *dysenterico*. Ita *Dysentericam*, intestina *Duodenum* & *Iejunum*, post mortem suam *bile repletissima* exhibuisse, & *folliculum* etiam fellis ea maxime *dysentem*, colore vero graminis simili, *Miscell*, N. C. Anno 1673. obl. nō. sistunt. &c. &c.

De reliquo vero etiam *bilem* præcipuè esse talem substantiam, quæ ad acuendam rerum *fermentescentium acrimoniam* aptissima sit, diluescere cum primis potest, è generaliore tali ejusdem efficacia, qua *Choleram* morbum efficit. Quando nempe cibus aut potibus acrius *fermentescentibus* immoderatus affusa, ejusmodi fermentationes concipit, seu potius instruit atque præbet, quæ *acerrimam causticam* indolem, revera gravissimè stimulantem; in intestina exercens, conatus illos excretorios sursum deorsum vehementissimos, quos *Choleram* appellat, causatur.

Unde verò hæc ita planè *specificè fermentescens* efficacia pendeat, omninò difficiliter fuerit determinare. In sola indole *fructuum boræorum* quærere, dissuadet insignis illorum differentia, quos malum hoc insequi solet. Ita enim non solum *prunorum mollium* imprimis, (quæ *Francones* tanquam penitus proprio nomine *Wäumen* / ita contradistinguunt majoribus, densioribus, vulgò *Damascenis* dictis, *Zwetschgen* / ut his istud nomen nunquam tribuant, contrà ac *Thuringi* atque *Saxones* faciunt) & *cerasorum* varii generis, imprimis autem *dulcium* parva certe monstrari potest convenientia cum v. gr. *melonibus*, aut *nucibus*, & reciproçè *nucum* cum *melonibus*: interim parem esse horum singulorum æque atque omnium efficaciam, ad provocandam *Dysenteriam*, certissimum utique est.

Interim notatu omninò dignum est, quod etiam horum *fructuum* secundum certas *species* peculiaris aliqua observetur *differentia*, ita ut imprimis *pruna* illa molli a *flava*, quæ vulgò

gò



gò *cereæ*, Germani *Spillirge* appellant: *Pyræ* illa imprimis, quæ *submucidum* quiddam, sub reliqua dulcedine gustui obicitur: *nucæ* etiam juglandes: *cereasæ* dulcia *nigra*, accensuræ.

Videtur tamen etiam omnium atque singulorum hujusmodi concretorum generalior quædam convenientia in eo agnoscipi posse, quod tum alii variorum generum succulenti atque subdulces fructus, tum hi etiam, quorum nominaræ sunt species, non tam æque efficaciam hanc exserant, quando jam verè *specificam* suam indolem *plenâ maturitate* subierunt: sed tunc maximè, quando adhuc *generaliorè* inter se *communem* constitutionem obtinent: nempe adhuc *immaturi* existentes.

Quicquid autem huius sit, certè sola etiam hæc *materialis* constitutio totum negotium non æque exhaurire videtur: Quin aliquid etiam, neque fortè ita exiguum, tribuendum appareat manifestò peculiari hoc tempore *æris* constitutioni. De qua quidem illud planè seorsim notandum est, quod aliqua quasi magis evidens ratio subesse appareat *tempestatis frigidioris* aut *fervidioris*. Ita enim observari vulgò solet, quod illis annis, quibus minus *fervidum* est, *Augusto* imprimis mense ineunte, cœlum, minus communiter periculi ab ortu aut progressu *Dysenterie* observetur. Revera tamen etiam de *calida* solum huius temporis constitutione hoc nihilo magis verum est, sed ita maximè, quando calori *humiditas* conjungitur, & plus minus *austrius* constitutio *æris* regnat. Nullum autem usquam est dubium, quin ad *fovendum* proventum reliquum quemcunque, plurimum contribuere possit, & subinde omnino etiam soleat, ut alias *intempestivus potus*; ita etiam præter *fermentescentem*, *subpurridum*, *uliginosarum lacustrium* aquarum. Imò verò ipse ferè simpliciter *agnosus* potus, fructibus *horæis* imprudenter superingestus, ad producendum hoc malum quàm maximè sufficere indies deprehenditur.

Quod autem etiam universa *eius temporis temperies æris*, aut quæcunque tandem, constitutio ejus (quam fortè *astrologi*

logi suis principiis propius tribuerint) in humores corporis redundans, aliquid peculiare conferat, suspicionem facere possit illud phenomenon, quod semel enata *Dysenteria*, etiam *con-  
eagio* in illa corpora non solum transferatur, sed etiam efficaciter desæviat, quæ hujus *specialis* substantiæ, è *fructibus horæis* petendæ, etiam exquisitissimè immunia sint, & sollicitè vel à contactu, nedum esu talium, abstinerunt.

Interim, uti nobis nullum est dubium, quin *materia* ad *Dysentericas* expulsiones concitata, non sit aliquid nudè *adventitium*; sed potius ipsa *seri* colluvies *biliosa* atque *submucida*: quæ saltè impressionem illam *specificam fermentescentem*, ex illis *horæorum* fructuum, *specialioribus* fermentativis apospasmatibus, nanciscatur: ita non adèd maxima difficultas hinc supererit, ad *generaliorè* eiusmodi conceptum, quomodo *semel generitam* huiusmodi *fermentum*, etiam aliam eius *genoris*, *generis* inquam, *materiam*, hac eadem *specificam* intima commotione afficere, & in eandem *speciem* convertere possit.

Certè enim & reliqua *specificarum fermentationum*, imò verò *fermentorum*, *indoles*, hoc innumeris exemplis satis confirmat: & hujus mali verè *fermentativa* *indoles* hoc tanto inagis confirmare, quoquo modo apparet.

Quamobrem autem & *fructibus horæis*, & *horæo*, *tempori*, imò harum rerum *concursum*, hanc efficaciam seorsim tribuamus, movet nos imprimis, apud nos certè affatim nota *experientia*, quod non ita multò post, v. gr. *Obobri* mensis, *variarum* etiam insignis abusus, *Diarrhæas* quidem, nec etiam *torminibus* vacuas, passim producat: *Dysenteriam* verò veram, quod nobis constat, & quidem D. D. Præsidi, *Franconicarum*, *Thuringicarum*, atque *Misnicarum* vindemiarum abundè gnarè, nunquam.

Nos quidem hætenus de vera *specificam* ratione *prognascendi*, qua inquam, *specificum* illud *Dysentericum fermentum* primo *generetur*, *specialiorè* aliquam verosimilem atque conceptibilem ætiologiam dari posse diffidimus. Interim *sub-*  
leg-

lem illam ejus indolem tenerrimè fermentescentem, quæ è *contagiosa* ejus efficacia elucescit, ad eò non negligendam ducimus, ut etiam potius propter *duo* plane eximia emolumenta, quam maximè memori mente servari debere contendamus.

Nempè *primò*, ne simplices tales generales ætiologiæ, purè atque crassè *stimulatoriæ*, & quibuslibet *acrimoniis* vellicativis superstructæ, temerè locum inveniant: utpote quæ ad hoc præcipuum & *essentiale* penitus phænomenon, tantundem quadrant, quantum rhombus ad circulum. *Secundò*, ut hæc circumstantia prudentiore consideratione veluti manuducat, ad rationalem intellectum non solum *ætiologia*, quomodo *frigus* Dysenterix tam malè conducat: sed etiam ad formationem rationalis *Therapiæ*, quâ methodo huic *contagioso* inquinamento, secundum materialem sui, ut *contagiosi*, indolem, commo- dè & utiliter consuli possit. Quam quidem rem ut suo proprio loco rectè exsequamur, ad ipsam *Therapiam* tractandam gradum proferimus.

Brevibus autem huic adhuc veluti *Theoriæ*, adjicere placeat *Prognosin* Dysenterix, imprimis cum satis brevibus absolvi possit.

*Exquisita* Dysenteria, veræ suæ indolis veluti *summum gradum* adeptæ, *pestilens* est morbus; undè non injuria iis locis, ubi talis grassari interdum observata est, à populo *die fließende Pestyn* appellatam annotatum est. *Causa* præcipua hæret in *antipraxis* illa evacuationis materiæ diversæ; quæ *causa* morbi est, & quæ *effectus* seu productum ejus. Nunquam autem, quantumcunque tandem benignior atque tolerabilis appareat, *periculo* vacat, si *negligenter* habeatur, aut plane perperam tractetur. Uti nunquam *febrili* motu absolutè destituitur, ita quò *manifestior* ille concurrat, eò difficiliora esse omnia, intelligendum est. *Emulatur* autem etiam in hac re *Dysenteria* affectus maximæ malignitatis capaces, *Variolas*, quin ipsam *pestem*, nedum omnes febres verè malignas.

D

Sic-

Sicut enim hæ omnes, quò magis legitime succedunt; eò  
*miiores commotiones febriles exferunt: quo impeditius au-*  
*tem, eò ferociiores atque turbulentiiores: ita in hoc genere reve-*  
*ra etiam Dysenteria. Acutior talis febris & ipsa contumaciter*  
*ferociens, & fluxum atque dolores graviiores fovens atque reti-*  
*nens, maxime est periculi. Hæc exitum funestum etiam fe-*  
*brili periodo parturit: secundo, tertio, septenario: cum sub*  
*miti febre Dysenteria etiam diutius durare possit, & tamen ad-*  
*huc salutariter exire. Quando Dysenteria admodum acuta,*  
*aphibodes infectio faucium supervenit, ingens est periculum:*  
*quando sonora illa inter edglutendum volutatio velut in ven-*  
*triculo, accedit, ordinariè etiam præceps ad funestum exi-*  
*tum. Communiter etiam longè peior est incruenta Dysente-*  
*ria, quam vulgus Albam vocat, quam cruenta: certissimè verò*  
*nimio peior, quando cruentatio desinit, symptomata verò re-*  
*liqua non solum manent, sed etiam augetur. Repente cessan-*  
*tes dolores, imprimis huc usque ferociiores, manente interim,*  
*imo crescente virium defectu, funestum sunt signum: eique*  
*proximum, manente etiam adhuc satis gravi sensu, ingens*  
*graveolentia materiae excretæ accrescens: utraque enim, & il-*  
*lud imprimis, repentinam, necrosin intestinorum sequuntur.*  
*Cæterum variorum etiam aliorum excretorum, insolita con-*  
*sistentia proventus, etiam quæ carunculas aut glandulas expri-*  
*mere videantur, non usquequaque statim funesta est prognos-*  
*is, quin iis etiam comparentibus. Patientes tamen iterum sa-*  
*nari contingat: si vero omnia reliqua, & constanter quidem,*  
*peffimè constituta compareant, tunc utique gravioris periculi*  
*indiciam faciunt.*

## Therapia & Medicatio Dyfen- teriae.

QUamvis non solum ingentem fiduciam, se omninò veluci appetitum quendam agendi, facere possint, magno numero occurrentes, & eadem semper (sæpè etiam verbotenus simplici transcriptione) pollicentes, tum Practici, tum de Materia Medica tractantes libri: Clinica tamen Praxis abundè monstrat, quam justa sit illa *Isocratis* admonitio: *Non amplas faciunt* (nempe neque re, neque vera specie, *μεγάλας*) *Artes, qui de illis jactando & ostentando gloriari, ἀλάζονες ὄντες αἰ, cordi habent; sed qui clarum faciunt, quid in qualibet earum verè insit.* Quanta hujus moniti sit veritas, nusquam luculentius comparet, quam in Medicina. Plausura librorum jam superant, qui disertè atque confidentissimè præscribant, non solum quid in quibuslibet, & imprimis difficillimo quolibet, morbis, agere conveniat; sed etiam, quibus *materiis* seu *medicamentis* illud certò perpetrari possit: nec ibi ferè penuria aliqua, sed abundantia invenitur, ut vel ipsa copia fastidium facere videatur, aut certè perplexum & incertum reddere possit. Quando verò opus tandem est *veritate* promissorum, & urgent morbi: vana ibi vel omnia, vel certè impeditissima, graviter prorsus confundere animum, & patientium imprimis, non magis exspectationi, quam præcipuè necessitati deesse, miserum omni modo est, & meritò dolendum.

Duo verò sunt, & omnino tam à priori, quam à posteriori, non magis jure, quam solida necessitate distinguenda; *Inventio auxilii* generalioris; *methodi*, quæ convenire secundum rationem videatur: & vera peritia *remedii*, nempe *instrumenti*, quo in effectum deduci, & verè obtineri, possit illud, quod ita deliberatum est.

Iam si maximè alterutrum suppetat, v. gr. si satis intelligatur, *quid agendum sit, remedium autem, quo hoc efficaciter obtineri queat, non suppetat: quin etiam contrà, bonum & efficax remedium equidem præsto sit, cui autem propriè morbi speciei, cui ejus tempori, quo ordine, quo regimine, speratam efficaciam in solidum edere possit, ignoretur, inutile illud futurum esse, ipsa ratio dicat.*

Meretur autem hæc res tanto majorem considerationem in illis casibus, ubi etiam sine vera *methodo*, reliqua medicinali efficacia velut absolutè *irrita* est & inanis: imo non hoc solum, sed etiam à præpostero fortè usu, positive *damnum* impender. Sicut etiam maxima certè consideratione dignæ sunt illæ affectuum species, in quibus tanta est *methodi* efficacia, ut *vel illà solâ* plus consuli possit patienti *sine medicamento*, quam medicamento quoquo modo inconcinnè usurpato.

Ne de multis aliis prolixiores simus, certè *Dysenteria* quoque hujus generis specimen præbet: siquidem in hac *æmulo* etiã bonis medicamentis præjudicium affert: *perversio* verò *methodi*, *damnum* infert. Tanto magis autem occurrentibus etiam sic satis agendorum *indicationibus*, quid inquam, agere conveniat; nisi verè efficax medicamentum, quod commodè atque placidè præstet, quicquid hic est necessarium, cognitum sit, inane profecto erit omne consilium: omnis inquam *prudencia*, sine solida hac *instrumentorum* ad rectè agendum *noticia*, imo *pericia*.

Interim reverà etiam solertissimè, imo verò *peritissimè* notanda venit, differentia illa, omni modo vera, atque solidè distincta, inter *Curationem* magis purè *methodicam*, & contra simplicius *artificialem*. Illa peragitur *generalioribus*, & imprimis ipsius *Nature* concursui curiosius innixis, regiminibus secretionum & excretionum: cum *materiarum* interim etiam generalioribus alterationibus. Hæc posterior, quam simplicius *artificialem* appellamus, absolvitur *remediis*, quæ vel *speci-*

cialissimæ materiæ eiusque efficacæ, directe obicem ponunt: vel universaliore quadam *Nature*, ut loquunter, *roboratione*, tali etiam speciali perturbationi opitulantur: vel denique *specialissimorum motuum* instaurationi opem ferunt, revera incomprehensibili agendi ratione.

Rariora certè sunt hujus ultimi generis remedia, aut ad minimum eorum notitia. Quod tamen non planè desunt, potest colligi ex aliquibus, quæ Divina benignitas etiam vulgò nota ad manus reliquit. v. gr. efficacia *olei scorpionum*, ad ictus illorum recens factos, remediorum è *viperis* petitorum, ad morsus illarum recentes atque simplices: ad morsum *canis rabidi*, hepar aut cor similis canis, tempestivè adhibitum, &c. Quemadmodum è contra *Methodica* magis sunt, similitum venenosorum morsuum recentissimorum, *injectiones* cauterio actuali: *scarificationes* tempestivæ, &c. Eadem ratio valet etiam in tractatione *Dysenterici* mali. *Methodica* enim ibi variè quæritur, imo & commendatur passim tractatio. Per *Corrigentia*, tum generalius *Absorbentia*, tum secundum alios specialissimè talia; per *Absergentia*; per *Evacuantia*; per *Mitigantia*: obtundentia, unguinosa: per *opiata*, dolorem tollentia: per *Alexipharmaca*, malignitatem conceptam retundentia atque dissipantia: imo ipsa *sudorifera*. Imo per *Adstringentia*: quibus quidem methodicè etiam usus est: promiscuè verò & sine methodo periculosus abusus.

*Artificialiter* autem veluti magis directè, tentatur *Dysenteria* curatio *Specificis*: quo quidem nomine alii alia laudant, sicuti inferius potissima illorum nominare, non obliviscemur.

Non placet autem aliorum labores denuò exantlare in transcribendis illorum consiliis: neque verò quid ex illis forte minus quadrare appareat, indicare atque monstrare cordi nobis erit, ne frustra excrescant, præter omnem nostram intentionem, operæ. Suffecerit generatim percurrere metho-

dos usitatioris, & quid de illis sentiamus, & quomodo instruendas arbitremur, strictim addere.

*Corrigere* causæ materialis vehementiam, exoptatum omnino esset, sed quonam remedio hic effectus, promptè, atque verè, obtineri possit? difficilius certè, quam vulgò creditur, nedum dicitur, est quæstio. *Absorbentia* certè usitata pleraque, nullius hic sunt pretii. Imprimis autem minimum præstant, in malo simplicius *per contagium* contracto: quod ipsum tamen etiam legitimo argumento esse potest, quod nunquam ad malum hoc qua tale, effatu dignam efficaciam afferant, sed quicquid faciunt in causæ *conjunctæ* forsitan aliquod emolumentum cedat, directæ verò ad summam curationis minimum conferat. Sunt qui *Corallia* hic aliis præferant. Sed desideramus maximopere, *primo*, constans atque sincerum testimonium *Experientia*: deinde si quid usquam conferre apparent, revera semper incertum est, an illud alia quacunque potius ratione perpetrent, quam *absorbendi* effectu. Hujus enim etiam in hisce efficaciam, utique absolutè dubiam reddit, quod aliorum *absorbentium* tam parum sensibilis, in hoc malo sit bonus effectus: undè certè in uno aliquo solo specialis talis efficaciam spem collocare, specialissimæ speculationis esset, circa illas specialissimas *aciditates*, morbis singulis formaliter assignendas, occupatæ. Ubi tamen iterum merito omnino pensanda venit levis illa utique, imo certè levisissima, etiam hujusmodi specialiorum suppositorum (in quorum gratiam operosa illa speculatio de *specificis acidis* directè confingitur) efficaciam ad ejusmodi affectus: dum revera subinde, Clinicam Practicam veritatem inspiciendo, tantundem fictitii habeat laus ejus efficaciam, quam speculatio, quomodo contingat: quod profectò de *Coralliis* in *Dysenteria* meritò dici potest.

Idem judicium valere potest, etiam de *bolaribus* concretis, quæ vulgò *Terrarum sigillatarum* nomine circumferuntur. Nisi enim tales adstringendo aliquid efficiant, de reliquo certis-



tissimè inutiles sunt, & subinde etiam *turbandorum* atque *gravidandorum* intestinorum, longe majore jure suspicionem subeunt, quam ullius bonæ spei atque efficacæ.

Quid vulgò dicta *Corallina* in hoc affectu fortè generalius prodesse possit, aliis intestinorum pathematibus, insensibilioribus imprimis pathematibus, & corporibus perito usu non inefficax, cujuslibet dexteritati relinquimus.

*Abstergentia* hic quidem notum est commendari, imprimis moderatè simul *Evacuantia*. Quibus etiam non æque adverstamur. Interim à *stimulantibus*, & imprimis *Aloëticis*, alienissimos utique nos profitemur. Si secundum vulgò receptam interpretationem, etiam *Nitrum* abstergentibus annumerare placet, hujus sed peritum omnino usum, imprimis *per insidiam*, aut posthac cum potulentis magis dilutum, quam simultaneis dosibus, probamus.

*Evacuantia* quod concernit, alia præter lenissima, & nominatim quidem *Rhabarbarum*, non suaserimus. *Clysteres* leviter *serebinthinatos*, & pluribus numero *vitellis ovorum* imbutos, non quidem contemnimus: interim nec exitium illis effectum tribuimus: imo ne quidem indifferentem usum, nisi in *principiis*. *Rhabarbarum* tamen magis in *substantia* placet, quam in *Extracto*: neque tamen etiam *infusum* planè displicet, modò pro re nata, quantum sufficiat saturatum.

*Mitigantia* & *Obtundentia*, *pinguia* reliqua, parvi profectò sunt usus: *oleum* commune etiam multis suspectum: *oleum Lini*, indifferenti usu, nullius cui fidere liceat, aut confidentur aliquid specificè tribuere, constantis efficacæ. Præterulerimus pluribus respectibus *Oleum ovorum*.

Iam pridem his nominibus, nempe *temperandi* atque *demulcendi* laudatum esse constat *Lac*. Fecit autem semper rem suspectam, imò interdum etiam actu noxiam, modò sutendi, quando nempe copiose simul & semel ingerendo, in *spissius coagulatum* coire solet, quod fere magis fovere possit reliquas turbas, & imprimis *termina*, quam minuere aut corrigere.

Com-

Commode subvenire huic incommodo susceptis *YDENRAM*, dum *lac aqua* simplici magnopere *diluere* suadet, ita ut, ad aliquot partes aquæ, non nisi una pars lactis adhibeatur. Enimverò si quid hoc remedio impetrare liceat, hac potius ratione, quam simpliciore ejus propinatione, illud feliciter impetratura iri, facile ad stipulamur.

*Calidum* saltem, aut sane bene tepidum, & hoc potulentum, & quicquid simile assumitur, usurpari, quam maxime suaserimus. Sicuti reverà ab antiquis hic illic, secundum speculationem, propositas applicationes *clysterum actu frigidorum*, nunquam approbare susceperimus: cum quælibet refrigerationes, non solum malum hoc in specie sensibilissimè exasperent: sed etiam quam maxime secundum hypothesin propter quam tale quid suaderur, nempe contra *ardores inflammatorios*, omnibus periculis damnabile futurum sit cœptum, *actus inflammatorios* nuda atque directâ *actuali refrigeratione* aggredi.

*Opiatorum* usum, ut alias non tam ex hypothesi, quam potius praxi, D. D. Præsidis, non facile, nunquam verò absolute sine summa cautione, suadendum esse putamus; ita etiam in hoc casu, non quidem damnamus, sed neque laudamus. Illud, quod de usu *opii* in universum valet, placet hac etiam occasione perpendendum commendare. Cum *Opium* nullum unum affectum *curare* possit, sed unice *symptomata* affectuum *obtundere*; imo ne quidem realia ulla symptomata, sed unice à posteriori, *sensum* eorum, rarius certè *motum*: Cavendum proinde maxime est, ne ubi *materialis cause*, & *materialia lesiones* præsto sunt, in *sensu* obtusione quicquam eximie spei collocetur. Certissime autem atque solidissime illis pathematibus, quibus *Opium* adiumento est, e fundamento recte consulatur, quando *materialibus* morbi tam *causis* quam *productis*, funditus prospectum fuerit. Ita enim demum non saltem *curabitur sensuum* perturbatio, sed *preoccubitur* etiam. Si quid autem *opiari* placet, præferimus vel simpliciter *Theriacam*, vel *Mass. Pil. de Cynoglossa*.

*Ale-*

*Alexipharmacorum* insignem hic esse usum, indoles tam acute contagiosa, quam febrilis, monstrat; siquidem omne acutum contagium verè malignum est. Neque quidem de telestu reliquo plurimum laboraverimus, modò differentia adhibeatur inter acriora, & temperatiora: aut moderato usu, repetendo potius, quam cumulando. *Gentiana* verè, *Pimpinelle* albæ, quæ in *Angelicæ* quoque Radices: *Scordium*, & *Millifolium*, inter alia, peculiari loco placent, sicut etiam *Zedoariam* probamus; & licet è diverso etiam fundamento semen *Santonicæ* vulgò dictum.

*Sudoriferum* directè regimen, non æque suademus indifferenter: moderatum verò omninò laudamus. Nempè ut vulgò dicimus compositionem tanquam ad sudorem expectandum, continentia corporis quieta, & tali cooperiendi cura, qua non æque positivè anxie concatescat corpus: interim refrigeratio etiam omnimodo excludatur. Longè commodiorem etiam his respectibus ducimus patientium decubitus in reliquis vestimentis; & inter hæc imprimis tibialibus, refrigerationem pedum, & omninò etiam plantarum pedum, inhibentium: sicuti plantis pedum calidos lateres apponere, semper conducit. Ubi etiam commoditas fert, desidentibus calidam aquam supponere, cujus vapor intestinum rectum, potius quam frigus, feriat, ex usu utique fuerit.

*Adstringentium* autem, circumspèctissimus omnium debet esse usus. Simpliciter talia, & nudo hoc scopo, assatim proinde ingerendo aut repetendo, nunquam conducunt. In malo alias mox à primo impetu graviore, sicut etiam manifestò à contagio oriundo, citra peculiarem materialem occasionem ex abusu ejusmodi fructuum, semper nocent; idem etiam faciunt in malo hoc jam altius radicato: tantò magis autem, quando febris acrior complicata est.

Quod plus est, uti rarior atque difficilior *Adstringentibus* est usus, ita nulla unquam illorum est necessitas. Quod benè notandum: ne qua temerè indicatio talium fingatur. Cum revera,

E

ra,

ra, (quod breviter, sed non obiter, circa has res moneramus) ingens error circa hujusmodi *indicationem* committi soleat, ac si *fluxus alvi à laxitate* intestinorum pendeat; quæ *Adstringentibus* cohibenda sit: cum *expresso* illa, quæ *fluxus* alvi constituit, positivè *constrictionibus* repetitis absolvatur: præterea absurdum esset supponere, quasi *materia* ita exprimenda, nudo atque simplici *allapsu* ad intestina *affundatur*, & ita affusa deinde utriusque *expellenda* sit: eoque, intestina simpliciter ita molestè afficiendo, pertendat: unde interpretantur, si saltem *affluxus* hic per *Adstringentia* supprimatur, universo affectui rectè consultum esse. Longè enim aliter res se habet, dum nisi ita dispositi essent humores, ut *excerni* illos *nece*se esset, non *affunderentur*: ita verò *dispositi*, & propterea *affusi*, non nisi præposterè, imò *noxie* directè & simpliciter *cohibentur*.

Nimii propemodum fuimus in his rebus recitantis; tantò breviores erimus in tradenda nostra sententia, de *METHODICA* talium administratione. Quamvis enim intentione has minimè damnemus, neminem tamen fore speramus, qui temerè credat, quasi tota hæc scena, tot personis indigeat, id est, *tot absolute medicamentorum speciebus diversis, gerenda* veniat. Siquidem talis methodus non solum operosissima foret, sed multis etiam insuper respectibus, reverà supervacua.

*Due* verò secundum nostram considerationem, sunt præcipuæ considerationes, totius negotii *indolem* exhaurientes: *primo*, ut *materia* corrupta omninò *evacuatur*; *specialior* vero, *corrumpens* imprimis, tum etiam jam *corrupta* veluti *specificæ*, certè *specificè* efficax, *materia*, suæ quoque speciei *conveniente modo atque methodo*, similiter expellatur, adeoque ab ulteriore, imprimis *corrumpente* progressu, cohibeatur. *Præius* obtinetur per *lenia* cum absterfione *Evacuantia*; posterius per *Alexipharmaco-Diaphnoica*. *Priore* evacuatur *cras*sior, quasi *feculentior* undique, *materia*: *Posteriore* methodo, aufertur cum ipsa, *tota subtilissima*, si quæ subest, ipsius *consagii, fermentativa* substantia: tum in corruptionis hujus actu, utique

quæ absolute *fermentativo*, subnascens par reliqua, & magis magisque attenuata, in tale tenuissimum *fermentum* etiam ipsa factificens, substantia.

Hæc enim proprie est, quæ, cum *crassis* illis *Evacuationibus* alvinis non ita simpliciter excuti possit, quamdiu (nempe nulla alia *convenientiore evacuatione* eliminata) in corpore remanet, perpetuum ulterioris corruptionis *instrumentum* & *fermentum* præbet. Non potest autem, secundum suam tenuissimam consistentiam, alio *excretionis genere* eliminari, quam tali, quod tenerrimam, *contagiosam*, *halituosam*, materiam formæ etiam, atque formula *halituosa*, è corpore eliminat.

Huic methodo equidem quilibet facile inueniet Remedia; ad minimum certè opinione sua. Nos verò candidè cohortamur, ut nihil hic temerariæ opinioni quisquam tribuat, sed *remediis* utatur, quæ etiam edere possint effectum, qui non solum *intenditur*, sed ab *urgente* malo, neque otiosas tentationes expectante, certè etiam *exigitur*. In leuiore malo, & leniore ejus indole, sufficere poterit, priori scopo *Rhabarbarum*, posteriori *Iberiaca*: Illud *manè* exhibendo, hoc *vesperi*: omni modo verò *regimen* ita instituendo, ut *præcipuo* scopo satisfiat, ut ille partim positivè promoveatur, partim vero quodcumque illius impedimentum, utique quovis modo caveatur & auferatur.

*Methodum* hanc omnino seruat, sed *medicamentis*, quibus plus confidit (quia illud quod ita necesse est, sub Divina benedictione certius, simplicius, & undique tranquillius præstant) D. PRÆSES: medicamento suo, quod alias majoris commoditatis causa *Pilularum* forma, vel etiam *Trochiscorum*, dispensare solet: quod peculiari sua energia *balsamica* & *corroborante*, passim, etiam *sine* alio *adminiculo*, malum hoc simpliciter extirpat, & quidem tanto præsentius, quanto adhuc *recentius* est, aut *simplicius*.

Certioris autem undique effectus gratia, imò, ubi *profundius*

fundius jam hæret malum, & Febrilis commotio est major, ad-  
jungit huic medicamento alterum, *Alexipharmacum*, haud mul-  
tò minus *specialis ad totum hunc affectum* efficaciam: in ordine  
verò ad principem illum scopum, *subtilissimam fermentativo con-*  
*tagiosam portionem eliminandi, & febrilem commotionem re-*  
*ctè expediendi, revera majoris energiam*: Hac quidem metho-  
do promptè & expeditè absolutum esse negotium curationis  
*Dysenteria contagiosa militaris* tam in ipsis castris, quam in urbes  
etiam per milites translata, testantur relationes Practicorum,  
super hoc hujus methodi atque medicamentorum horum ef-  
fectu transmissæ, quarum una ita habet: *Dysenterias hic gras-*  
*santes jucundissimo experimento promptè restituerunt in integrum*  
*medicamenta transmissa: communiter Massa illa, Pilularum aut*  
*qualibet formula usurpata, etiam sola. Ubi verò non tempe-*  
*rive sola satisfaceret, subiunctum pulverulentum illud, negotium*  
*presentissimè expedit. &c.*

Non equidem hæc, uti scitè alicubi *B. Ludovici* ait, in præ-  
judicium Horoscopi laudantur: interim multiplici experienti-  
a ita eximie perpetuò se gerunt, ut *ubi ulli alteri remedio locus*  
*fit, hæc nulli alteri secunda fore, polliceri integrum videatur:*  
*adspirante tamen Divina benedictione.*

De *Adstringentium* usu adeò parum placet prolixum esse, ut  
cum certè sine prolixitate cautelæ eo pertinentes tradi non  
possint, malimus de illis planè tacere. Quod quidem  
tanto securius facere posse confidimus, cum ex nostra men-  
te illorum nullum *directum usum*, nedum *necessitatem* ad hoc  
malum, existere profiteamur. In malo mitissimo, ejus-  
que primis initiis, satisfacit non raro *pulvis subadstringens*, ex  
*Rad. Tormentilla, Coralliorum præparatorum*, a. scrup. sem. *Spe-*  
*cierum de Hyacinto* gr. VI. *M. P. de Cynoglossa* gr. j. dosin  
talem in quinas aut tenas horas repetendo; *porum* non nisi  
calidum actu, adhibendo: maximè insuper *quietum* Patien-  
tem continendo, ut *sudatorie* ventilationi apta maneat dispo-  
sitis. Plurimum autem conducit, *Decocto semin. Carvi, calido*  
in-

instar Thee, loco potus uti, aut ad minimum interponendo; *Mitigans* nullum *Gummi Arabico* par est, *largius* dato.

Senescente etiam præcipuo imperu, locum habent *subadstringentia*; ubi aliis omninò antecellit *fructus Sorbi majoris* efficatus; cuius numero duo aut tres, repetitis vicibus assumpti, optinè omninò sese gerunt. Quid de *Semine Lapatii cruenti* (vulgò *sanguis Draconis* dicti) præter *adstringentem*, etiam *specifica* in hoc malo efficacia, promittat *Celeberrimus Volckmerus Pater*, in *Misc. N. C.* latius videri potest.

Placet historiolam adjicere, militis, qui *Dysentericos* feliciter restituebat, parum sapido quodam fusco pulvere. Cum verò penù semel iterumque destituente, nihil coëmere, & tamen iterum instructus comparere animadverteretur, ab hospitibus attentius eum observantibus, visus est, ex antiqua *pyro arbore*, cariosum *subputridum* lignum, in horto ad hospitium pertinente, corradere. Fides sit penes *Experientiam*.

Breviter tandem tangere placet *SPECIFICA*. Laudantur hoc nomine passim varia; imprimis autem *Priapus Cervi*, à variis; *Hepar serpentis*, à *Doct. Michaelis*; *Smaragdus* in *Misc. N. C.* *Fungus sorbi aucuparia* (vulgò *Eberasche*) tum ab *Hagendornio*, tum aliis peritis. Ut alia levioris fidei taceamus, Conferatur *Waltheri Sylva Medica*.

Recentissimum horum, & ut habet curiosa relatio, editioni *Exercitationum Martini Lysleri* annexa, maximæ omninò efficaciæ, modo fides sua historix undique constat, est *IPECACUANHA*: Interim, sive mercium mangonium, (imprimis fortè obsoletiorum, aut alias magis evanidæ specificæ efficaciæ vicio) sive utendi minor dexteritas, in culpa sit, audiuntur certè passim quiritationes, quod minime ita *promiscue*, imò ne quidem æque ut *plurimum*, votis respondeat eventus. At sit omninò à nobis, ut cuiusquam medicamenti *vera* atque *evidenti* efficaciæ quicquam detrahamus; quam potius *Divinæ Benedictioni* gratissima mente in acceptis ferendam, si quisquam a ius, agnoscimus, imò contendimus. Potest certe

fieri, ut reliquum imprudens *regimen*, tum hujus, tum aliorum medicamentorum felici successui obicem ponat: siquidem negligentioris *regiminis*, imprimis temerè *frigidi*, propemodum fide majorem efficaciam in hoc malo, non solum à *posteriori* trovimus, sed etiam à *priori* rationem ejus satis evidentem reddidisse nobis videtur. Interim majoris utique facienda judicamus talia medicamenta, quæ effectum suum tantò certius assequuntur, quo pressius etiam *rationali* *methodo* satisfaciendo, tantò minus facile à quibuslibet externis alterationibus irrita redduntur.

Seorsim autem *specifica* remedia, & *præmissionem*, & qualemcunque *subordinationem generaliorum* methodicorum postulare, jam dudum alibi monitum, sicut ab universa antiquitate inviolabiliter constitutum est.

Placet uno verbo mentionem injicere traditionis, qua veteranus quidem Chirurgus Castrensis, sibi persuasum habebat, *Radice Pseudoacori*, seu *Iridis flava lacustris*, maximo perè adstringentem, non solum *interno* usu, etiam *specificam* quandam efficaciam antidyfentericam habere; sed etiam *secum gestatam, amuleticam* ejusmodi energiam exferere. Quid de *Radice Plantaginis aquaticæ*, ad dolores *Hæmorrhoidales præsentissimè* efficaci, si in manu tantum incalescat, promittatur, viderelicet apud *Prætorium*, & ex illo *Pancovium*.

Non placet prolixiores esse, nec etiam habemus, quod ad veram summam rei addamus. Undè quidem in his acquiescimus *Divinam Gratiam* pro præstito nobis auxilio benignissimo, toto animo celebrantes.

FINIS.



NOBILISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
PRÆSES.

S. D.



Vod reliquæ prudenti pensitationi consonum est, id etiam asserit Hippocrates, imò sancit lege sua, ut ad Medicinæ studium adferantur, natura, nempe indoles apta; studium etiam, & tandem tempus, adhibeantur. Sicut enim, ipso pariter rectè dicente, natura reluctantè, etiam omnia irrita sunt: ita nisi naturæ quoq;, indoli & ingenio, studium suppetias ferat, eousque, quoad rectè exsequi detur universum artis latifundium, debito ita tempore continuandum, nullus utiq; fructus ab intempestivo atq; immaturo opere expectari poterit. Interim utut hæc omninò ita sese habent, nemo erit, quin facilè agnoscat, quo ordine hæc mutuo succedere, imò quam efficaciam ad universum scopum habere possint. Certè enim tempus studio, studium indoli plurimum debet, ut alterum alterius intuitu promptius succedat, imò felicius cedat. Ingenium certe alacre, capax, moderatè cupidum, & constans, non promptum solum est ad suscipiendum, quæ maximo solido usui esse possint. Sed assiduum etiam, & omni vigilantia intentum, ad prosequendum, quin impetrandum, honestum suum scopum. Imprimis autem docilitate sua, promptitudine, capacitate, non magis ad occupandum quam amplectendum, imò retinendum undique sufficiens, studii adhibendi laborem mirificè sublevar. Idem ingenium ita habile, tempus plurimum in potestate habet? ut, quod alias tardè, atque languidis successibus vix impetraretur, hoc subsidio revera fluere videatur. Ita  
undi-

undique servit bonæ indoli tempus, & obsequitur, ut ita non ordine solum justo, sed etiam succincto, & proclivi successu, optata meta attingatur. Ingens autem subsidium est, viam etiam planam reperire, & quæ ordine adenda sunt, ordine disposita reperire. Quam quidem rem Hippocrates noster institutionis nomine attingit, sed attingit tantum. Certè cui benigna fata ingenium & promptum dederunt, & firmum; illi studium non deerit, nempe non solum intentio bona & boni cupida, sed etiam affiduitas ad hanc decenter explendam: his rebus si institutio accedat dilucida, rectè ordinata, connexa, justo tramite ad scopum procedens, postremum loco & dignitate omninò erit tempus, nec habebit, quo felicem exitum differat, nedum præripiat. Ut hæc ita differam, tu occasionem præbes NOB. D. CANDIDATE, qui stadium Medicum & indole optima appressus es, studio indefesso profecutus: sectatus etiam es ordinem doctrinæ, & in exquirendo rerum medicarum potius vero nexu, quam aliis *επιτηδείοις* vigilem atque intentum te gessisti. Non potuit ita aliter fieri, quin etiam breviori tempore progressus faceres, quos alii laudare omni jure possint, Tu vero illis gaudere. Sequere divini Senis legem, ut eadem solertia, quæ egregio temporis compendio comprehendisti, diuturno, imò longissimo ejus, & fausto quidem undique, successu, in usum transferas, arte ipsa, & Te dignum. Ita quemadmodum Tibi de rebus hucusque feliciter succedentibus meritò gratulor, bono jure etiam ominari potero, quod omnia perpetuo, prospere & feliciter eventura sint. Certissime hoc bene procedet, & ex voto undique cedit, si hisce tuis cœptis divina benedictio præsidio sit. Hanc ego Tibi bono animo comprecor, Tu exorare memento: Ita vere felix eris. Dabam è Musæo VI. Calend. Aprilis MDCCVI.

Halle, Diss., 1706 L-Si



Sl.



1706/18

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,  
DE  
**DYSENTERIA,**

Quam

*FAVENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO,*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRANDENBUR-  
GICO, ET DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE,  
CETERA,

IN REGIA FRIDERICIANA  
*GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU*  
PRÆSIDE

**DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,**  
MED. D. AC PROF. PUBL. ORD. H. t. FACULT.  
DECANO,

*DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO*  
*omni Observantiæ cultu prosequendo*  
**PRO LICENTIA**

Summos in ARTE MEDICA Honores, Insignia & Privilegia  
DOCTORALIA, more majorum legitime adsumendi,  
*Eruditis ventilandam proponet*

**JACOBUS HENRICUS HEILERSIEG,**  
BREFORDIA-GELRUS,

*Ad d. Mart. MDCCVI.*  
IN AUDITORIO MAIORI, horis ante- & pomeridianis.

Iterum editæ HALÆ MAGDEB. Literis CHR. HENCKELII, Acad. Typ.  
ANNO M DCC X.

11. 8. 3. 8-50

